

GVNTHERVS COMES DE SCHVVARZEN-  
burg, electus Cæsar.



Gvntherus illustri familia comitū de Schuuar  
gzeburg in Thuringia natus & educatus fuit.  
Is multis egregijs uirtutib. præditus Ludouici Cæ  
sar is castra secutus, atq; insigni corporis & animi  
fortitudine magnā autoritatem apud omnes prin  
cipes adeptus est. Vnde copijs Cæfareis prefectus  
in omnibus locis uictoriam obtinuit, atq; sibi hac  
ratione magnas opes & plurimos amicos compa  
rauit. Itaq; Ludouico Cæfare mortuo, cum Caro  
lus Lutzelburgius, à quibusdam electoribus rex es  
set declaratus, reliqui electores Carolo repugnan  
tes hunc Guntherum diu multumq; sollicitarunt,  
ut Imperium contra Carolum assumeret. Id quod  
ipse sua forte contentus multoties recusauit. Tandem uero ea conditione con  
sensit: Si principes in Francofurto legitimè congregati decernerent, Imperium  
uacare, atq; pluribus suffragijs se Cæsarem eligerent, tum demum sese amore  
patriæ paratū esse queq; pericula pro Imperio subire, ut id à tyrānis & seruitu  
te liberaret.